

minime Italiæ luctuosum plerique prudentes viri existimabant; quod si diutius vixisset, multa, quæ de invadenda Italia consilia a Gallis concoquebantur, perfici potuisse censebant: Franciscum cum exercitu Alpes transgressurum; in Insubres arma moturum; copias pontificias eodem tempore Urbini Ducis ditiones invasuras, ut Dux, qui Venetorum copiis præerat, ad suas res defendendas coactus, Reipublicæ suam operam navare non posset; atque interea classis Turcicæ terror, Chariadeni acerrimi Christianorum hostis auspiciis, cunctis incuteretur.

Clementi Alexander Farnesius, qui inter ceteros virtute, doctrina, atque ætate eminebat, quadraginta atque amplius annos antea in Cardinalium collegium cooptatus, tunc illius princeps, susceptus est, ac Pauli III. nomen suscepit. Ad illum de more quatuor oratores a Senatu missi, Marcus Minius, Thomas Mocenicus, Nicolaus Theupolus, Federicus Raynerius: multa fane, atque ea eximia in eo viro enituere, quæ ad supremæ dignitatis fastigium extulerant, præclaræ majorum imagines, multarum rerum usu comparata prudentia, a se ipso tantum pendens animus, cum nulli summorum Principum devinctus, aut addictus, cunctorum benevolentiam, & gratiam mire sibi conciliasset; quibus omnes sibi pollicebantur fore, ut publicæ pacis, ac præsertim Italicæ studiosus, saluberrimis consiliis, atque egregiis actionibus, funesta præteritarum cladum memoria deleta, suum pontificatum illustraret. Cæsar, de Pontificis creatione nuntio accepto, tum primum illius mentem, & consilia explorare statuit; cum plurimum suis rebus conducere arbitraretur, si percussum superiori anno foedus cum Italis Principibus confirmaret, quo uno Gallorum ardentes in Italicam expeditionem animos obtundi posse existimabat. Quamobrem equitem Ciconiam in Italiam misit, qui Antonio Levæ mandata deferret, ut cum Italis Principibus de instaurando, & arctius adstringendo foedere ageret, atque ut Pontifex in id descenderet, enixe curaret: ni impetrare posset, facultate iciendi relicta, cum reliquis pacifceretur: tunc vero Antonium Levam, non socialis foederis imperatorem, sed summum illius in Italia præfectum designat.

Eodem tempore a Senatu Bononienſe foedus anno M. D. XXIX. iſtum, quo Italica pax firmiter coaleſceret, confirmari petebat. Ea de re Antonius Leva cum Christophoro

*Pauli III.
Pontificis
electio.*

*Oratores a
Senatu ad
Pontificem
designari.*

*Mandata
Cæſaris ab
equite Cico-
nia ad Le-
vam perla-
ta.*